



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt VII. Res à Iulio primùm gestæ in Parmæ restitutione, in
significatione erga Principes ac subditos beneuolentiæ, & in ministrorum
delectu.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11665

tibus, præter Gonzagam, Pacecum, Madruccium, & Cueuam, 1550. qui eum iam Pontificem adspicientes, ad pedis oscula procubuerunt, veniamque poposcerunt; quam non ore tantum, sed animo Pontifex dedit, quemadmodum facta prodidere, splendidiora fortasse quam prudentiora. Etenim Papienses Infulas arbitrio Mantuani permisit, & facultate in ipsius gratiam concessâ, ut eas Hieronymus de Rubens rursus indueret. Ferdinando præterea, eiusdem Cardinalis fratri, & à quo suæ Sedis prouentibus exutus fuerat, quatuor scutorum millia largitus est ex posthumis Cardinalis Rauenatis reliquiis. Cùm autem Madruccius decem scutorum millia ab arario Apostolico sibi reposceret propter sumptus erogatos, ac detrimenta ob Concilium Tridentinum in vrbe sua celebratum accepta; tametsi ne obolum quidem vel à Paulo, vel eo demortuo à Cardinalium collegio impetrasset, Iulius ab eo in Concilij congressibus publicè offensus, & in Comitii à Sede Pontificia pro viribus reiectus, statim duplo maiorem quam postulabat pecuniam illi concessit. Quæ admirabilia quidem sunt, sed infra vulgi existimationem, in homine, qui eò potentiæ conscendit, vbi reconciliatio non animi prauitati, quin solùm magnitudini adscribi potest.

g Ex Diario Massarelli, initio Iulij III. Pontificatus, à quo inter eos qui sibi à seceris erant, adscriptus est.

C A P V T VII.

Res à Iulio primùm gesta in Parma restitutione, in significatione erga Principes ac subditos benevolentia, & in ministrorum delectu.

SI noui Pontificis electio politicorum expectationem fefellit, haud certè minus prima eius & consilia & facta falsum futuro Principatui præfagium protulere. In eo siquidem patuit, illos, quæ ualidius dominantur, variæ rerum succedentium conditioni seruire, aduersus ea in quæ ipsorum propensio feratur. Ac primò quidem gratæ voluntatis sensa in homines de se benè merentes, solliciti pastoris studium in curanda concordia, ac paternam in subditos charitatem præ se tulit. Grati animi specimen dedit in ipso suæ electionis articulo, Iulij III. nomine sibi adscito, ob merita in se collata à postremo huius nominis Pontifice; quippe qui per dignitatem Purpuræ, quâ Antonium Montanum ipsius patrum exornarat, viam nepoti aperuerat ad longè maioris fastigium dignitatis. Sed luculentius grati animi specimen exhibuit familiæ Pauli III. & Farnesij Cardinalis, è quibus vniuersa ipsi amplitudo proximè defluerat. Etenim cùm in Comitii inter ea rerum capita, quæ vnusquisque

a In Diario Massarelli, initio Pontificatus Iulij, & in mandatis Rossetto in Galliam misso traditis, ut intrâ.

1550. quisque Cardinalium sibi seruanda iureiurando pollicetur, si Pontifex eligatur, sancitum esset, Parmam gratiâ Italiae quietis esse restituendam Octauio Farnesio iure beneficiario, & postremo Pauli praescripto; nouus Pontifex non solum promisso stetit, Hieronymo Saulio Archiepiscopo Bariensi, & Bononiae Prolegato ad id missis, sed quod res ad exitum perduceretur, de suo viginti scutorum millia persolui iussit Camillo Ursino, ^b qui fuisse à se expensa in ea vrbe custodienda, nec inde se discessurum, nisi prius eâ redditâ sibi pecuniâ, contestabatur; cui tunc soluendæ Octauius non erat, ex praesentis argenti penuria. Praeterea traditâ eidem Ursino, prout ipse poposcerat, amplissimæ cautionis syngraphâ pro cunctis ad urbem custodiendam sumptibus, eam in his omnibus curam adhibuit, eaque mandata tam feruidè, tam impatienter, tam iteratò perscripsit, vt quasi non de reddenda, sed de acquirenda vrbe res ageretur.

^b Variæ litteræ Dandini ad Saulium, 1550.

^c 17. & 20. Februar. in Diario, sub die 16.
^d Litteræ Dandini ad Innocentium Montanum, postea Cardinalem, 23. Februar. 1550.

^e Diarium Maffarelli, 26. Martij 1550.

^f In mandatis ad Rossetum.

Ad hæc Pontifex missis ad Carolum V. Petro Toletano, ^c qui cum Burgenfi, eiusdem familiae Cardinali, Comitibus interfuerat, & ad Henricum II. Rosseto Abbate, & intimo sibi cubiculario, qui officiosos creationis suæ Nuntios afferrent, ^d enixè imposuit, vt vtrique Principi Farnesios commendarent impensius quàm si ipsius Iulij consanguinei forent; simulque vt testarentur & apud Caesarem, quantum erga ipsum studij in Cardinali & Octauio; & apud Regem, quantum in Horatio Pontifex per annos plurimos semper perpexisset. Et quoniam existimabat sublatum se ad Pontificiam Sedem potissimè Gallorum operâ, qui Polum excluderant, ad Solij penè gradus à Caesarianis ac Farnesio Cardinali prouectum; ipsum verò, quem alienum rebantur à Caesare, strenuè promouerant, primis statim diebus voluit ^e luculentam habitâ à se gratiâ testificationem edere. Quapropter cum in publico Senatu obedientiam Iulio profiteretur regio nomine Claudius Durfeus per consuetam orationem ab Episcopo Nouiomenfi habitam, quorum vterque vnâ cum Iulio Bononiensi Concilio interfuerant, cumque responsum de more reddidisset Blossius Palladius, qui ab epistolis Pontificiis erat; Pontifex honorificâ præter morem grati animi significatione hæc ipse verba subiecit: *Ad ea que Secretarius noster respondit, hoc volumus addere, quod quantum ipsi Christianissimo Regi tum publico tum priuato nomine debeamus, nullo vnquam tempore dissimulabimus, nec vnquam villo officiorum genere Maiestati suæ non ostendemus.*

Iam verò pacis studium, præter Parmam, de qua diximus, hæc etiam de caula ^f restitutam, confestim ille patefecit, non solum dato negotio

negotio duobus, quos ab eo missos nominauimus, vt illos Principes ad id cohortarentur, & præcipuè Toletano, & vt in Aula Cæsarea concordiam inter Farnesios & Gonzagas curaret, sed etiam adhibitis quibusuis beneuolentiæ intimæque fidentia argumentis erga Cæsarem, quicum simultatis periculum ex euentis præteritis propius imminere videbatur. Et sanè de Cæsaris voluntate ipsa Comitia multum nubis abegerant ab animo Iulij, tum in eo quod ad communem Ecclesiæ rem, tum in eo quod ad ipsium Iulium priuatim pertinebat. Si Ecclesiæ res spectetur, iam à nobis narratum est, quo pacto, dum is legatione fungebatur, induxerat in animum, velle Cæsarem, vt nouus Pontifex in Germania vel Tridenti crearetur, eademque de causa illic retinere eam Episcoporum manum, simulque contendere, adhuc ibi Synodum persisteret: atque hæc persuasio adeò infederat in animo Iulij, vt quibusdam litteris ad Ceruinum ea de re conscriptis, perinde quasi fides sibi vera vaticinanti non haberetur, alteram se Cassandram nominabat. Postea tamen perspexerat, mentis esse non malignæ solùm, sed vulgaris, de aliorum voluntate deterrima quæque tamquam verissimillima sibi persuadere: quod si hoc esset, quisque vno verbo sagacitatem edoceri posset. Compererat itaque rem aliter se habere, cum animaduerteteret, à Cæsare, nihil profus noui moliente, statim missum fuisse Pæceum Tridento ad Comitia Vaticana. Quod spectabat ad se priuatim, existimarat proximis superioribus annis Cæsarem sibi maxime infensum, utpote translationis auctori, & de illius Principis voluntate exutum se prouentibus Ecclesiæ suæ à Gonzaga credebatur: sed vbi ad rem ventum est, experimento comperit, multos Cæsarianorum sibi fuisse suffragatos; vnde collegit, alios priuato consilio, non mandato Cæsareo sibi aduersatos. Quod plurimum confirmarunt argumenta lætitiæ, quæ Bertanus Nuntius^h retulit à Cæsare & ab Aula Cæsarea, tunc Bruxellis degente, ob eius electionem conceptæ. Etenim quemadmodum vbi quidpiam nobis molestum accidit, aliud contrariis præditum conditionibus exoptamus; ita postremæ inter Paulum & Carolum offensiones Caroli animum stimulabant ad expetendum Pontificem omnino dissimilem, cuiusmodi Iulius censèbatur, vt qui patientiore animo erat, ingenio magis flexibili, consiliis planioribus, affectu quò ad iram in verbis proniori, eò pariter ad reconciliationem procliuiori, antequam iracundia in facta prorumperet. Idcirco Iulius amicitia cum Cæsare vicissim cupidus, plurima largè proposuit ad componendam Placentiæ controuersiam; & inter alia, vt per tolerantiam

1550.
g Constat ex mandatis.

h Diarium, 7. Martij.

i Mādara Pighino Nuntio tradita, 1. Iulij 1550. Hæc Iulij mandata exstant apud auctorem, & in multis Bibliothecis Romæ.

Pars II.

D d

recipro-

Historia
Concilij Trid.
lib. II.
cap. VII.

1550. reciprocam, saluo vtriusque partis iure, ambo conuenerent; ac proinde Cæsar Placentiam, & Octavius Parmam tamquam Pontificis beneficiarius teneret, offensiones omnes amouerentur, & Farnesio Duçi loco Placentiæ quidam certi redditus tribuerentur. Vt hanc animi propensionem in Cæsaris clientes, simulque mansuetudinem in subditos suos palàm faceret, vix renuntiatus Pontifex, Mendozà Oratore solùm petente, Ascanium Columnam in gratiam recepit, & redditis illi cunctis oppidis, honorumque ornamentis, quæ per annos plurimos Paulus abstulerat. Ea tamen in re imbecillis potius animi notam, quàm laudem clementis à quibusdam accepit; propterea quòd Ascanius, dum Sedes vacabat, reipsâ quæ sibi adempta fuerant, per vim receperat; adeoque cedere potius quàm condonare Pontifex videbatur. Verùm cetera à Iulio gesta in hoc etiam de ipsius mente nihil ambigi sinunt. Nam simili clementiâ vsus fuit erga Vrsinorum familiam, absoluto Farnensi Abbate, quem Paulus tamquam perduellem damnauerat; non tamen Abbatiam restituta, quâ fas non erat priuari Cardinalem S. Angeli, cui decessor illam concesserat: adempta etiam à Paulo oppida Rudolfo Baleonio, aliisque primariis subditis, restituit.

k 17. Februarij, vt in Diario.

l Vide Adrianum, lib. 8.

m Diarium, in primis mensibus.

Iam verò cùm huiusmodi cernerentur eius Pontificatus initia, quis in mentem induxisset, paulò post eum in Italia, & quidem contra Farnesios arma moturum? Et sanè vsque adeò Iulius seuerum ac martialem animum non præ se tulit, vt potius lenitatem iucunditatemque plusculùm amare videretur, non rarò ad mensam Pontificiam inuitatis maioris notæ Cardinalibus, præcipuè in hortis, quorum deliciis mirificè oblectabatur: quod fortasse profanis Principibus laudi verteretur, tamquam ingenij comitas & amœnitas, sed in Iulio ob principatus quem administrabat sanctitatem, & propinquum grauitatis exemplum in Paulo conspicuum, indolis nimis delicatæ, minusque ad Pontificium decus compositæ speciem habuit. Verùm id quod eius Pontificatus primordia decolorauit, prima Purpura fuit, quâ statim induit adolescentem, Innocentium nomine, tam obscuris natalibus, vt etiam nunc Famam lateant. Quæ in hoc partim ex tabulis, partim ex veterum hominum narratione elicere potui, hæc sunt: Dum Iulius Placentiæ Legatus præerat (non Bononiæ inferioris Præfulis conditione, sicuti Suauis narrat) puero, qui ad se mensæ accumbentem festiuus ventitabat, animum beneuolenter adiecit, eumque solertiori esse ingenio ratus, pietatis ergò de suo alendum, studiisque imbuendum curauit. Is cùm in litteris humanioribus quadamtenus profecisset, oblectatus

ex

ex eo herus, sibi que plaudens, quod sua quasi perspicacia plantam
 eximiam, adhuc minutulam & in luto, discreuisset, maiori in pue-
 rum beneuolentia incaluit, qua illum prosequeretur veluti sui iu-
 dicij prolem, cuius filij pluris quam corporis soboles aestimantur.
 Eoque paulatim amor excreuit, ut a Balduino Montano fratre In-
 nocentium adoptari iusserit; quam adoptionem falso refert Sua-
 uis habitam fuisse post initum Pontificatum: imò in Diariis Massa-
 relli, qui a secretis Concilio fuit, habetur, Innocentium, a Legati
 fratre iam adoptatum, in quodam pastorali dramate personam egis-
 se. Iulius itaque potestatem adeptus eligendi Patres in Senatu, an-
 tequam vel illustrium Præsulum merita remuneraretur, vel certe
 viros sibi consanguinitate coniunctos prouheret, quasi quodam
 beneuolentia fascino abreptus, Innocentium, ad eam usque diem
 a se detentum in Bagnaria pago, itinere vnius diei ab Vrbe semoto,
 inter Purpuratos ° adsciuit, nondum fortasse septemdecim ætatis
 annos expletem, & annuo duodecim millium scutorum prouentu
 locupletauit. Verum ut eam electionem cohonestaret, ° ad Sena-
 tum primò verba fecit, studium Religionis spirantia, de Comitio-
 rum quam meditabatur ordinatione; proposuitque, velle se tum ve-
 teres Canones instaurare, tum nouas adicere pœnas in abusus indu-
 ctos. Deinde de conferenda Innocentio Purpura sermonem habuit,
 præsentia suæ familiæ indigentia, & aliorum consanguineorum ine-
 pititudine, atque ad id collegij consensum in sui gratiam postulauit.
 Cui beneficio ° postea eam reddidit Innocentius ingratam remune-
 rationem, quâ iudice euentu, beneficio affecti prauitas iudicium da-
 toris damnat. Etenim prout vsuuenit hominibus, abiecti ob gene-
 neris sordes animi, præferuidæque ob iuuentutem cupiditatis, qui
 honores immodicos sibi collatos ad exaturandas potius libidines,
 quam ad nutriendas virtutes impendunt, in varias confestim corru-
 ptelas prolapsus est; ob quas oportuit, ut subsecuti Pontifices mo-
 dò cum lenius castigarint, modò acerbius punierint, honoris clari-
 tudine in dedecus versâ. Verum tamen Iulius cognomen suum,
 dignitatem & commoda illi contulisset; non tamen id temporis
 rerum administrationem commisit, admoto ad subleuandas Eccle-
 siasticæ gubernationis curas Fabio Mignanello Lucera Antistite,
 atque ad arcana Pontificia Hieronymo Dandino Episcopo Imolen-
 si, quorum vtriusque virtus comperta sibi fuerat, dum apud Reges
 sæpius hi Nuntios agerent, aliisque grauissimis muneribus perfunge-
 rentur. Proprius enim sui cuiusque amor, ceteris affectionibus su-
 perior, sæpè efficit, ut qui alterum plus merito amat, non idèd ei

1550.

n 2. Martij
1549.

o Variz
Dandini lit-
teræ ad In-
nocentium,
& antè, &
ipso electio-
nis die,
p 30. Maij.

q Litteræ
Maffei Cat-
dinalis ad
Cerinum,
30. Maij
1550. inter
tabulas Cer-
uinorum.

Historia
Concilij Tri-
dentini
Lib. II.
Cap. VII.

1550. plus merito fidat: & quamquam immoderatus, summa quoque illi appetat conferatque; non tamen æquè hallucinatus, summa quæque de illo sibi persuadeat.

CAPVT VIII.

Toletanus & Rossettus à Iulio missi ad Cæsarem & ad Gallie Regem, ad reponendum Tridenti Concilium: & rationes quæ id Pontifici suasere.

Summopere optabat Cæsar, vt Concilium Tridentum reduceretur, incitatus ad id & honoris stimulis ob tam iteratos publicosque conatus, quibus rem promouerat, & Religionis utilitatisque studio, quòd inde tranquillitatem Germaniæ, tametsi dubitanter, speraret. Suavis dum hæc recens agitata commemorat, in errata plurima statim impingit. Dicit in primis, rem postulari cceptam à Cæsare per Ludouicum Auilam, magnum Alcantaræ Commendatarium, ad exhibendum Iulio obsequium obedientiæ legatum. ^a Sed Auila ea de re ne verbum quidem; sed intra gratulationis & obsequij officia se continuit. Pontifex verò ante huius aduentum eam quam diximus spem generatim Cæsari fecerat, sicuti liquet ex mandatis Toletano traditis, ad Cæsarem misso ab initi Pontificatus die. Addit, Iulium postea, acrius ad id vrgente Mendozâ, statuisse in suo priuato Concilio, se in Cæsaris gratiam rem peracturum; sed re celatâ, destinasse cœtum Purpuratorum Patrum, qui ferè omnes erant Cæsaris studiosi, vt eorum deliberatio quòd ipse vellet desisteretur, admixtis etiam nonnullis ex sibi intimis, qui reliquos in officio continerent. Cuncta hæc non solum aduersantur iis quæ Suauis narrat de aperto Iulij ingenio, sed etiam facti euidentiæ. Etenim cœtus ille constabatur ex iis Cardinalibus, ^b quibus antea constabat, cum Romæ res expendebantur postremâ ^c Pauli ætate, præter Ceruinum graui præpeditum morbo, ob quem non longè abfuit quin è vita decederet, & postea coactus fuit Româ discedere.

^a Extat in mandatis, Triuulcio in Galliam Nuntio traditis.

^b Diarium, 19. Aprilis 1550.
^c Diarium, 13. & 23. Martij.

^d 17. & 20. Febr. ex Diario.
^e Litteræ Dandini ad Innocentium Montanum, 23. Febr. 1550.

Res igitur hoc pacto contigit. Iulius vix Pontifex constitutus, misit, quemadmodum exposuimus, Petrum Toletanum ^d & Abbatem Rossettum, ^e quorum vterque Pontificis Comitibus interfuerat, illum ad Cæsarem, hunc ad Henricum, vt grates illis agerent, ac præsertim Gallo, propter collatam ab eorum ministris operam ad ipsius electionem promouendam: super qua eos ipsos quos miserat, testes vocabat, qualinam animi & moderatione & demissione

sione